



Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 7. Vrsi malè educatos pueros punientes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

gustauit, sed juxta eum asinumq; perman-
sit, vt, contra aliarum ferarum imperium,
eos custodiret.

§. VII.

Vrsi malè educatos pueros punientes.

Sic non leonibus tantūm, sed & vrsis vslus
est justissimus iudex, ad petulantiam malè
educatorum puerorum plectēdam. Ascen-
derat Eliséus in Bethel, *cumq; ascenderet,*
per viam, pueri parvi egressi sunt de ciuitate,
& illudebant ei, dicentes: Ascende calue, Ascen-
de calue. Qui, cùm respexisset, vidit eos, & ma-
ledixit eis in nomine Domini: egressiq; sunt duo
ursi de saltu, & lacerauerunt ex eis quadra-
ginta duos pueros. Tanti erat iuuere. Sic
jocum puniuit diuina justitia. Habent er-
go parentes, quid mereantur, apud diui-
nūm tribunal, si liberis suis indulgent, si
dissimulant sarcasmos, si etiam ad dictaria
jacienda eos instruunt; vt senes caluastros,
vt rugosas anus, vt seruos & ancillas con-
uicijs aspergāt; vt illos cæcos, surdos, mu-
cosos, illas veneficas, vetulas, Cerberi spō-
fas, aut Silicernia; hos mastigias, verbera-
nes, nebulones; has meretrices, prostibula,
pabula Orci appellant. Eliséum caluum,
vocauère; & pueri erant; & in campis nu-

gabani-

gabantur ; & tempore exiguo, ac vix bis
scōmma hoc effuderunt in transeuntem ;
& ecce, Deo judice , quadraginta parenti-
bus suis charissimi filij , deliciæ matrum ,
spes posteritatis ; quodq; est miserabilius,
pueri parui, ab vrsis non occiduntur modò,
sed etiam lacerantur , vt nullius cadauer.
posset dignosci, nulliuscorpus in patrium
sepulchrūm inferri, sed necesse fuerit, con-
fusa inter sese membra , in vnum cūmulū,
velut Absyrtum, colligere, plangerēque
etiam hoc, quòd ibi, vbi sciebat esse, nemo
suam prolem posset inuenire. O quale,
tunc spectaculū fuit parentibus, & cognati,
exire in campum, recente, & adhuc fu-
mante filiorum, nepotumq; sanguine cru-
entatum ! calcare grāmina hinc tabo pur-
purata, inde exangūibus , & à ceruice sua
reuulsis vultibus pallentia ! Vidisses hīc
matrem brachium, ibi patrem ossa hume-
ro malè harentia tollentem, & exploran-
tem ; an notæ sibi tunicæ aptari possent !
Alij, velut lymphati, per totam stragem
sursum ac deorsum currebant, vt volante
oculo deprehenderent gnatum adhuc pal-
pitantem ; alij per singulos, ordine, quæ-
rebant, vt, quod quærebant, non præteri-

D d rent:

rent: ita, quid singuli passi sint, viderunt in
vniversis. O quis tum, quantusque luctus
fuit, qui gemitus, quæ suspiria in cœlum
missa? quām irgens vis lachrymartim in
terram cadentium, apt lacerata paruolo-
rum membra lauātum! Quām seria fuit
accusatio, in vtsorum feritatem vibrata?
quanta execratio belluarum? Sera est hæc
vestra querimonia, o patentes erratis
accusando. Vos ipfos, non vrsos, accusate.
Si voluissetis liberos vestros ad senectutem
peruenire, docendi fuissent; senes non con-
temnere; non ridere Prophetam, sanctis
non illudere, sed reverentiam exhibere:
cur ab vrsis exigitis humanitatem, qui pue-
ros paruos docuistis feritatem? Nunc quia,
vestra vel negligentia, vel indulgentia, vel
socordia, in Eliséum linguas itringere di-
dicentur; Dei sententiâ & mandato, bel-
luæ, in illos, dentes debuerunt stringere; vt
mordacitas eorum, vrsinis morsibus ple-
cteretur, & justissimo Numinis judicio
lacerati docerent, sanctos viros contume-
lijs non lacerandos.

§. VIII.

*Amentia eorum, qui contra bestias
queruntur.*

Abeant